Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36448
Copyright: Melk, Benediktinerstift

diligenter omnia cathezizauit eum et
sic eum baptizauit.
Post aliquod autem tempus factus
est diaconus sanctorum sacramentorum
christi et gratia data est illi aduersus de-
mones et omnem infirmitatem sana-
bat. Multos autem de gentili errore
conuertens faciebat christianos. Erat autem
uita eius irreprehensibilis et mores
sine malicia. Completo autem anno
promotus est in presbiterum et permansit se-
decim annos in officio presbiterii.
Beatus autem Antimus preuidens exitum
suum conuocat synodum episcoporum et ordina-
uit sanctum Cyprianum episcopum et statim
migrauit ad dominum. Cyprianus uero
episcopus sanctam Iustinam uirginem promouit
in monasterio uirginum abbatissam et
constituit eam matrem monasteriorum
uirginum. Multos uero Cyprianus
illuminabat per uerbum dei et conuer-
tens augebat christi gregem. Cum comple-
ti fuissent prophetici sermones et que
a uero propheta christo dicte sunt parabole
de illo qui exiit seminare semen
suum et multi circa fidem offenderent
et populi dispergebantur. Tercium autem
reges et ydolorum cultores insanien-
tes suscitauerunt persecutores aduersus
christianos ut ymolarent diis. Sanctus
uero Cyprianus episcopus per epistolas ecclesias
omnes ut Paulus apostolus consolabatur et con-
firmabat per ciuitates singulas
multos conuertit de errore. Malignus
autem serpens ut assolet diabolus per
suos impios homines suggessit euto-
linno comiti orientis quod Cyprianus
episcopus christianorum ipse destruxit gloriam
deorum nostrorum et omnem orientem seducit
per magicas artes cum aliqua uirgine
iustina. suadens hominibus ne im-
molent diis. Comes uero iratus iuuen-
culis iussit eos cum omni custodi-
a per singulas ciuitates perduci.
ut peruenirent in damascum ciui-
tatem. Cum ergo fuissent ei oblati in-
terrogauit eos dicens. Tu es Cypri-
anus doctor christianorum qui per malefi-
cia multos errare fecisti et cultum
deorum paruamitate habuisti et nunc
presumis per artem magicam posse
amicus fieri crucifixi. Cyprianus
autem dicit ei. Magnum te ipsum dila-
tas in multa superbia cum sis di-
ues diabolica insania in qua ego
fueram aliquando (al. anathematus) conuiciatus sathane
in perdicione demonum et multos
luxuriosos feci. sed saluauit me deus
per uirginem iustinam. Comes autem
dixit. Quomodo te saluauit. Cy-
prianus dixit. Dum eam uellem temptare
per demonia omnes quos immittebam
illa exsufflans ad nichilum dedu-
cebat. Dum etiam conuersus fuissem
omnes in conuersione mea glorifica-
bant deum. Comes autem hec audiens
iussit eum suspendi et exungulari
beatam uero iustinam crudis neruis in
manibus cedi et exalapari a duobus
spiculatoribus. Virgo autem cum cede-
retur dicebat. Gloria tibi christe qui cum
sim indigna dignam me fecisti co-
rona tormentorum. Spiculatores uero
defecerunt et ipsa glorificabat deum. Iterum
iubet adduci beatum Cyprianum comes
et uidens eum tacentem dicit. Cypri-
ane indurasti? Dicit ei Cyprianus.
Infelix tuum induratum est cor cum
sis apostata a deo. Ego uero in regnum
eius mereor intrare si fuero dignus